

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 93. (*Neovidensis* 1806. Nro. 87.)

Ex Campis Elysiis

Dissertatio Politica

De felicitate, et infelicitato belli.

Elysium.-Meum.- Die Martis 11. Novemb. 1806 (*Neov. 28. Octob.*)

S e n t e n t i a

Haeret in tergis fugientium victor.

Curt.

In hunc modum describit Quintus Curtius Alexandrum Magnum, exercitum Pori profligantem, persequentemque fugitivos. Hic magni nominis vir jam antea totam Graeciam adjecerat suae ditioni. Victorioso huic Heroi nil erat amplius reliquum, quam Indias adoriri. Porus fortissimus hujus Regni Rex noluit victas dare manus; quare aggressus eum est Alexander anno ante Christum natum 328, et iterum, iterumque vicit, ac demum, ut Curtius ait, haesit in tergis fugientium victor.

Voltaerus asserit, quodlibet saeculum suum posse producere Heroem, at nullum esse, quod posset gloriari Alexandro. Jamne omnia tempora praeterlapsa sunt? non habetne praesens similitudinem cum felicibus Macedonibus? Prius omnes minores provinciae in

Germania, et Italia jugum subierunt, quam fuissent victricia arma ad Marengo, et Aussterlicz condecorata. Borussia in Septemtrione sita, uti Porus in Indiis, die 9. et secundo die 14 praelio superata est; Numquid porro quoque continuabimus comparationem rerum gestarum? Quem habuit exitum expeditio contra Porum?

Alexander in stuporem raptus heroica obstinatione Pori, misit ad eum Indiarum Principem, qui auctor esset faciendae deditiois, verum repulsam est passus; Alexander convocavit Indiarum Regis amicos, expeditit ad infelicem, et horum tandem opera factum est, ut se victori sisteret. Quomodo vis, quaesivit Alexander, ut te habeam? quemadmodum Regem decet, reposuit invicti animi Indus, Quod responsum ita placuit victori, ut ei non tantum proprias reddiderit provincias, sed adjecit etiam novas. Porus hoc beneficium grato excepit animo, inivit cum Alexandro armorum societatem, datamque servavit fidem.

Numquid non potest haec similitudo applicari praesentibus rerum adjunctis? Tunc equidem spes affulgeret generosae pacis.

Curtius memoriae prodidit, Alexandrum tanta celeritate induxisse suas copias in hostile territorium, ut illud peregrinus accelerato itinere vix percurrisset. Alium tam velocem victorem aegre producet historia excepto Caesare, qui quondam Senatui scripsit: *Veni, vidi, vici.* Nostra praeterita bella in multos annos protrahantur, usque dum lis dirimeretur. Fridericus

unicus
nis. M
exerci
septen
omnia
annos
ris cae
hac de

D
Octob

D

prope
appu

nes leg

25. Se
Octob

dem d

sici ec

tus sibi

tia mi

sorem

scrips

reipsa

Gallia
Sterli
lecta
Regis
certe
scrip
dotfi
thier
casio
navi



unicus ad se conservandum bellavit septem annis. Memoria hujus septennalis belli animatus exercitus Borussicus prodivit in campum, sed septem dierum praelium ab 8. usque 15 Octob. omnia decidit! Quanta differentia inter septem annos, et septem dies! Sic saepe puncto temporis cadit annis sustentata gloria. Sed legamus hac de re officiosas relationes.

Descriptio eventuum bellicorum ab 8. Octobris usque 15.

Die 24. Sept. turma praetoria Imperatoris properavit Parisiis Bambergam, quo 6 Octobris appulit. Mandata ad exercitum expedita omnes legiones ad motum concitarunt. Imperator 25. Sept. abiit Parisiis, 28. fuit Moguntiae, 2. Octob. Herbipoli, et 6. venit Bambergam. Eadem die impetierunt glandibus plumbeis Borussici equites Gallicum Officiale. Ambo exercitus sibi oppositi stabant. Die 7. Octob. Moguntia misit Imperatori Princeps Beneventanus cursorem cum duabus magni momenti litteris; Unas scripserat Rex Borussiae in 10 circiter foliis, et re ipsa nihil aliud, praeter inania verba contra Galliam, qualia Anglia intra annum 500 libris Sterlingicis procudit. Imperator re tota non perlecta dixit adstantibus; doleo sortem mei fratris, Regis Borussiae, non callet idioma gallicum, ille certe hunc raptum ingenii non legerit. Huic scripto adnexa erat celebris Nota legati Knobelsdotzhi, Mareshalle! ita affatus est Caesar Berthierum, pulcherrima nobis offertur honoris occasio pro die 8. qualem Gallus nunquam declinavit; Quia vero dicitur venusta Regina inter-

futura conflictui, simul humani, et neglecta nocturna quiete properemus in Saxoniam. Non sine ratione ista protulit Imperator, Regina enim Borussiae fuit in castris more Amazonum induta vestitu legionis desultoriae, ejus nomen gerentis, scripsitque quotidie 20 ferme epistolas ad accendendam belli facem. Imperator videtur sibi in illa videre Armidam, quae in perturbatione proprium succendit palatium. Hanc excipit Princeps Borussiae Ludovicus, juvenis Princeps, plenus spei, atque animi, qui factione inductus sperat se in bello immortalem reperturum gloriam; Exemplo horum duorum tota Aula merra spirat belia. Sed si praelium cum omnibus suis calamitatibus exordium sumserit, omnis se innocentem affirmabit, nemo volet dici auctor fuisse belli ad Septentrionem extensis; tunc ipsi svasores belli illud non tantum damnabunt, sed ejus errores in Regem, qui honestissimus mortalium est, et quem illi suis factionibus, et artibus deluserunt, liberaliter conjicient. Ita autem erat gallicus exercitus locatus: Exercitus triplici via proficiscitur: Dextrum cornu ex legionibus Mareschallorum Soult, et Ney, atque bavarorum divisione constans movet Norimberga, et Amberga, ut se Byruthi conjungat, iturum usque 9. ad oppidum Hof. Centrum compositum ex copiis subsidiariis Magni Ducis Montani, nec non Mareschalli Principis de Ponte Corvo, item Mareschalli Davust, et turma praetoria progreditur per Bambergam ver-

us Cronacum, ut die 8 attingat Salburgum, unde transeundo Schlaitzam adsit Geræ. Sinistrum denique cornu ex legionibus Mareschallorum Lanes, et Augereau conflatum procedit per Svevofurtum versus Coburgam, Vallem Comitum, et Salfeldam.

Secunda relatio magni exercitus. Auma 12. Octobr. Imperator die 8. Octobr. hora 3. matutina discessit Bamberga, & hora 9. pervenit Cronacum. Die 9. summo mane pertransiit sylvam Franconum, adfuitque Ebersdorfii, unde se contulit Schlaitzam, primoque interfuit conflictui. Redux Ebersdorfium noctem egit, die 10. iterum revertit Schlaitzam, et Iffma pernoctavit Aumae, postquam diem integram Geræ insumsisset. Primarium hospitium transfertur Geram. Omnia Caesaris mandata ad amussim impleta sunt. Mareschallus Soult ivit die 7. Byruthum, pervenit ad oppidum Hof, eripuit hosti omnem annonam, coepit multos, venitque die 10. Plaviam. Hunc Ducem itinere mediae diei sequebatur Mareschallus Ney. Die 8. Magnus Dux Montanus cum levis armaturae equitibus, peditibusque Cronaco appulit Salburgum; hic ei negabat legio Borussica transitum per fluvium Salam, sed post spatium unius horae videns se esse in periculo, ne cingatur, deseruit stationem. Die 9. profectus est Dux Montanus Schlaitzam versus, quem locum Borussicus Generalis cum 10 millibus armatorum defendebat; Eo etiam accessit Imperator circa meridiem, jussit Mareschallum, Principem de Ponte Corvo impetum facere in villam, quam ante solis occasum occupatam voluit. Mareschallus factis dispositionibus ipse a fronte suarum legionum irruit in vicum, cepit, et hostem profligavit: nisi nox ingruisset, maxima pars hostis venisset in captivitatem. Generalis Vatler egregie se gessit cum suis equitibus adversus tres legiones Bo-

russicas; Eodem tempore Borussici equites aggressi sunt 4 centurias peditum gallo- rum in planitie consistentium, sed malo suo didice- runt quomodo excipiat peditatus gallicus equi- tatum Borussicum, 200 eorum vitam amise- runt, Generalis Maison duxit peditatum, hosti- lis tribunus occubuit, 2 tormenta occupata sunt, 300 capti, et 400 interierunt; Jactura nostro- rum exigua fuit. Borussici pedites abjectis ar- mis profugere. Magnus Dux Montanus in medio suorum militum pugnavit. Princeps de Ponte Corvo fixit hospitium die 10. Aumae; die 11. Magnus Dux Montanus Geram advenit, multo hostili bellico apparatu potiti sumus. Ita etiam in sinistro cornu res ex sententia processit: Mareschallus Lannes die 8. venit Coburgam, inde autem die 9. ad vallem Comitum, die 10. Salfeldae invasit primum agmen Principis Ho- henlohe, cui praeerat Princeps Borussiae Lu- dovicus, unus e praecipuis belli incentoribus, licet autem tantum duabus horis duraverit fra- gor tormentorum, et media solummodo pars Divisionis Sücheti manus conseruerit, equita- tus tamen Borussicus prostratus est, et pedita- tus sine ordine fugit partim in paludes, partim in sylvas; mille viri capti, 600 occisi sunt, et 30 tormenta erepta.

Borussicus Princeps Ludovicus videns stra- gem suorum irruit generose in gallicum vigi- liarum magistrum, qui illi inclamavit; Tri- bune! victas da manus, secus periisti, at ille vibrato gladio reddidit responsum, sed vigi- liarum magister retorsit argumentum, et Prin- ceps prostratus occubuit; Quamvis hujus Prin- cipis ultimi vitae dies nigro calculo notari mer- eantur, ejus tamen mors gloriosa fuit, dignus- que est commiseratione, mortuus est, ut in- victi animi militem mori oportet; Duo ejus lateri adhaerentes Officiales perinde occisi sunt.

Inventae apud illum sunt litterae Berolino, e quibus patet, propositum fuisse hosti sine tergiversatione vim inferre, bellica enim factio, cujus praecipua capita erant Princeps, et Regina, metuebant ne Rex pacifica capiat consilia, sicque crudelis eorum spes evertatur. Hinc licet inferre, fulmine belli primum ejus Auctorem esse prostratum. Nec Dresdam, nec Berolinum ullus tuetur exercitus. Borussiae militiae ex sinistro latere circumdatae, esto gravissima quaeque tentaverit, miser est status. Tenet Isenacum, Gotham, Erfordiam, et Vinariam. Exercitus vero gallicus hodie 12ma stat pone Salfeldam, et Geram progressurus versus Naumburgum, et Jenam; Velites gallici spatiantur in campis Lipsiensibus, Interceptae litterae probant Regem in diversa abiisse consilia, semper deliberasse, et nunquam concordia obtinuisse suffragia. Incertitudo, sollicitudo, et metus videntur succedere in locum inconsiderantiae, et temeritatis. Heri die II. Imperator Gerae transiens penes 27 Legionem pedestrem commisit tribuno, ut eidem significaret, sibi placuisse ejus pugnandi rationem.

Tertia relatio magni exercitus, Gera 13. Octobris. Pugna ad Schlaitzam, qua bellum coepit, quaeve magnam attulit cladem Borussiae exercitui, dein vero praelium ad Salfeldam sequenti die commissum, terrore, ac consternatione repleverunt hostem: Omnes ad manus nostras delatae epistolae, affirmant, Regem, qui cum Regina, Duce Brunsvicensi Erfordiam se recepit, sollicitum esse, quid agendum, quin aliquid decidere possit. Rege autem deliberante progreditur gallicus exercitus. Ferocitatem, et immoderatam jactantiam excipiunt jam criticae observationes de inutilitate belli, de injustitia incusatae Galliae, de impossibilitate obtinendi auxilia, de invito mi-

litum animo, de hoc, et illo, quod fieri, vel non fieri debuisset, verbo: sexcentae animadversiones, quas vulgus in promptu habet, si Imperantes adeo imbecilles sint, ut illud in gravissimis Reipublicae negotiis in consilium vocent. Interea gallicae copiae die 12. vesperi jam usque ad portas Lipsiae excurrerunt. Magni Ducis Montani hospitium erat intra Cizani, et Lipsiam, Principis de Ponte Corvo Cizae, Imperatoris Gerae, Mareschalli Lannes Jenae, et Mareschalli Augereau Calae. Princeps Hieronymus, cui Caesar legiones foederatorum concedidit, pervenit Schlaitzam, postquam ad Culmbacum arcem Blassenburgum obsidendam curasset. Hostis abscissus Dresda, die 11. adhuc Erfordiae morabatur, suaque agmina versus Casselas, et Herbipolim ad faciendam in Germaniam irruptionem dimissa revocabat. Fluvii Visurgis, et Sala ab hoste muniti ita fere circumdati sunt, uti anno praeterlapso Ilera, exercitusque gallicus obviam procedit inimico; singularis omnino positio, quae magna minatur. Ex quo ad arenam descendimus, faventia habemus tempora, abundamus rebus omnibus; miles plenus est animorum, optimaque utitur valetudine. Rex Borussiae voti damnatus est, volebat enim ut gallicus exercitus usque octavam Octobris excedat ex territorio confederationis, fecit; in locum, ut trans Rhenum iret, trajecit Salam.